hier. Ad Marcellam de V quaestionibus;

hier. ad Marcellam de V quaestionibus

LXXIII Magnis nos provocas quaes-
tionibus, et torpens otio
ingenium, dum interrogas,
I docet. Prima tua quaestiuncula fuit:
quae sint illa quae nec oculus vidit nec
auris audivit nec in cor hominis ascenderunt,
quae praeparavit deus his qui diligunt eum;
et quomodo rursum idem apostolus in-
ferat: Nobis autem revelavit deus per spiritum
suum. Et si revelatum est apostolo, intel-
legere debemus quid et ille aliis revela-
verit. Ad quae breviter responsio est:
Non debere nos requirere quid sit illud, quod
nec oculus vidit nec auris audivit nec
in cor hominis ascendit; si enim ignoratur,
quomodo sciri potest quod promittitur
in futuro et non cernitur in praesenti? Spes enim
quae videtur non est spes, sed dicitur certa posses-
sio; quomodo si velit quispiam dicere:
ostende mihi quod invisibile est, loquere
quod audiri non potest, expone quod non con-
prehendit humana cogitatio. Ergo
hoc sensu apostolus dixisse credendus est,
quod carnalibus oculis et aure carnali
et cogitatione mortali non possint spiritalia
conprehendi; et si enim noveramus quon-
dam Christum secundum carnem, sed nunc iam
non novimus eum. Et in Iohannis epistola
scribitur: Carissimi, nunc filii dei su-
mus, et necdum manifestatum est quid futuri su-
mus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quod si et
revelatum sibi et cuius per spiritum esse testatur,

Non statim sequitur ut ipse aliis revela-
rit. Alioquin audivit et in paradiso
verba ineffabilia, quae aliis narra-
re non poterat; dum si narravit, nequa-
quam ineffabilia sunt.
II Secunda quaestio fuit, in qua dicis le-
gisse te per transitum in opusculis meis
quod agni qui stant a dextris et hedi
qui a sinistris Christi, eum sint Iudaei atque gentiles,
et non potius boni et mali. Non memini
me hoc aliquando dixisse; et si dixisse me,
non esse me in errore pertinacem; quamquam autem
dictam subito occurrerit. In secundo
volumine contra Iovinianum super hoc capi-
tulo disputasse me novi, et non solum super hoc
sed et de eo quod in eandem quaestionem
cadit, ubi pisces mali a bonis piscibus
separantur; quod ergo ibi plene dictum est
nunc omittendum videtur.
III Tertio interrogaveras, quod dicit apostolus
in adventu domini salvatoris rapi quosdam
viventes obviam in nubibus, ita ut non prae-
veniant eos qui in Christo dormierunt,
Visque nosse utrum sic occurrant in cor-
poribus, et non ante moriantur, cum et dominus noster
mortuus sit, et Enoch atque Helias secun-
dum apocalipsin Iohannis morituri
esse dicantur. Nec scilicet et nullus sit qui
non gustaverit mortem; hoc exprimit cum
notaloci scriptum est quod sancti qui
in adventu salvatoris in corpore
fuerint deprehensi, in isdem corporibus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0468